Jn Nomine Domini Amen.

M. ADAMVS ROSZCZEWIC,

I. V. D. & Professor, Eccl: Cathedr: Crac: Canonicus, Collegiatæ SS. Omnium Archidiac: S. Nicolai ad Crac. Præpositus, Almæ Vniuersitatis Procancellarius, inclyti ac florentissimi Studii Acad: Crac.

GENERALIS RECTOR.

ETSI eos omnes, qui in charissimæ & dulcissimæ omnium nostrum Matris ACADEMIÆ complexu viuunt: in omnibus actionibus suis, nihil aliud; nisi honorem & gloriam Dei; Ecclesiæ Catholicæ, Regniq; istius amplissimi bonum commune semper spectare: illiq; augendo & promouendo singulos; pro ratione suæ vocationis, pro fide data, & pro S. R. M. Dñi Dñi nostri Clementissimi desiderio, quod in suis literis Regijs ad Nos missis planè paternum declarat, maximè studere & intentos esse, optimè sciamus. Nihilominus tamen, ne quid à nobis in hac specula Vniuersitatis constitutis, prætermissum esse videatur, pro veteri instituto & consuetudine laudabili, Vniuersos & Singulos, qui iurisdictioni nostræ Rectorali sese iuramento adstrinxerunt: maximè verò eos, quos aut perniciosa per hostes Pacis publicæ facta, suggestio; aut vana apparentis cuiusdam boni commodiuè species seducit; & importunum ac potiùs nociuum incautis eorum mentibus zelum ingenerat, paternè requirimus; atque cum Apostolo, pro amore nostro oratos, & pro officio monitos esse volumus! vt Pacem & Veritatem diligant, vt idipsum omnes dicant, vt sint perfecti in eodem sensu & in eadem sententia &c. &c. Quies Musis amica est; turbæ autem & dissensiones; mentem studijs deditam distrahunt: calumnias, odia, infamiam, pericula generant: & suis authoribus certum, illumque luctuosum interitum adferunt. Facilis autem vnicuique ad quietem patebit via; si in prima iuris principia, quorum quisque meminisse debet, oculos intendens, *Honestè viuat, Neminem lædat, & vnicuique, quod suum est, reddat.* Vbi enim fit iniuria, ibi oriuntur & manent iurgia, vnde lites & catenata consurgit malorum series. Amotâ verò iniuria, & expulsis iurgijs; Pax alma, & exoptata inter omnes incipiet vigere concordia. Cum autem veræ sapientiæ studium, maximè in Veritate & Charitate, quæ Deus est: in virtute, quæ ex Deo est: in doctrina scientiarum cum profectu proximorum, quæ propter Deum est, situm sit; ad eas sedulò quærendas & comparandas omnes ordines Academiæ peramanter inuitamus. Senatus Academicus, Nati Vniuersitatis Consiliarij, omnium Facultatum Decani, suæ Facultatis Doctorum & Professorum laboribus diligenter attendant: immemores sui officij commonefaciant, & corripiant: ad extremum, (si opus est) Rectori deferant; ita enim iuramento, quod in aditu magistratus sui præstiterunt, satisfacient. Omnium Facultatum Doctores & Professores, Lectiones ex primæua fundatione sibi ordinatas, fideliter & singulis diebus legant, & debito tempore finiant, non prætermissis nouis, si quas in se receperunt: ita enim & vocationem suam certam facient, & intentionem Fundatorum factis exæquabunt. Collegij Vladislauiani, Nouoduorsciani Professores, Humaniora studia cultumque pietatis in teneriore iuuentute ardentissimè promoueant; sic enim optimè de omnibus merebuntur. Seniores Contuberniorum, Contubernales suos in Diuinis officijs, artibus honestissimis, atque exercitijs domesticis ita instituant: vt strictam rationem iacturæ adolescentum, & impensæ benefactorum Supremo iudici in illo censorio die reddere opus non habeant. Parochialium Scholarum Seniores, paupertinam tribum frugi & diligentem; quæ cantu Ecclesiam, & olim opera, patriam iuuare potest, in Ludo literario teneant; vagos & turbulentos, à septis scholasticis, tanquam fucum ab aluearibus, arceant & expellant. Optimarum artium Studiosi, dotes ingenij sui diligentissimè excolant: Consilijs suorum Præceptorum atque monitis pareant: literasque cum Pietate coniungendo, quàm maximos in virtute, bonis moribus, atque ipsis studijs progressus facere nitantur. Quicunq; autem nomine Studiosorum censentur, actu tamen non student, neq; priuatos Præceptores habent, neq; lectiones frequentant, tituloque honorificentissimo Studiosorum, nullam literis operam dantes, ad turbas & vexationes aliorum abutuntur: ij omnes præsentis Mandati vigore (quod alias in ACADEMIA Cracouiensi semper fuit seruatum) ab omnibus Priuilegijs & immunitatibus ACADEMIÆ, atque à defensione Rectorali, sciant se alienari, & fore amotos. Typographi, Bibliopolæ, alijque rei librariæ institores, iuxta Priuilegium D. Sigismundi Primi Regis Poloniæ, ab omnibus, quæ fidei Orthodoxæ, & morum honestati aduersantur, abstineant nec quidquam imprimere aut venum exponere audeant: nisi prius per Vniuersitatis Rectorem, aut ipsius Deputatos reuisum & ad imprimendum vendendumque permissum fuerit. Denique vniuersè & sigillatim omnes cognatione literaria nobis coniuncti, quos præsentibus in Domino hortamur & obsecramus, vna nobiscum, ad illum antiquum candorem, qui in ACADEMIA semper fuit: ad illam innocentiam & simplicitatem, quæ Maioribus nostris fuit propria: ad illud Pietatis & literarum studium, quo Antecessores nostri rigidum lateque patentem Septemtrionem excoluerunt, & barbariem ex illo primi exstirpârunt, incumbant, & ex voto nostro ferantur. Quatenus sic, non solùm nobis, monitisque nostris; sed etiam institutioni & erectioni ACADEMIÆ; intentioni Diuorum Fundatorum: voluntati S. R. Maiestatis Dñi Dñi ñri clementissimi, omniumque Ordinum Reipublicæ Polonæ expectationi cumulatissimè satisfacere valeant. Datum ex Ædibus nostris Pridie Nonas Maij. Anno Domini M. DC. LX.

1660.